



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. An infideles non baptizati possint retinere potestatem, vel
iurisdictionem supra fideles, & an possint ea potestate priuari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

utroque ergo, vel in neutro casu interuenit metus, & coactio ad concessionem sufficiens ad eam inuolundam.

131

Ratio à priori in utroque casu, cur iniquitas, & iniuria subditorum non reddat inuolundam obligationem Principis concedentis petenda est ex iis, quæ indicauit tom. 2. de iustit. & iure disp. 37. sect. 15. num. 179. nempe hostibus etiam iniuste bellantibus seruandam esse fidem propter publicum pacis bonum, & regnorum quietem: nisi enim ea pacta seruarentur, maximum esset impedimentum pacis componendæ: sicut ob eandem rationem debetur impunitas, & indemnitas oratoribus, & legatis publicis etiam hostium, quia id necesse est, ut tractatus circa pacem haberi possint: sicut ergo bonum publicum pacis, & quietis publicæ reddit immunes oratores, & legatos hostium, qui alioquin rei sunt, & pœna digni propter bellum iniustum; sic etiam idem bonum publicum religionis dat valorem saluo conductui concessio hæreticis, quia aliter non possent religionis amissæ damna refarciri. Et sicut idem bonum publicum pacis obligat ad seruandam fidem datam hostibus etiam iniustis in bello, sic bonum publicum obligat ad seruanda pacta facta cum hæreticis circa libertatem conscientię, quando ad bonum publicum necesse erat, quod eiusmodi pacta cum obligatione fieri possent. Quando autem in illo loco citato diximus, pacta hostibus seruanda, quando sunt sine coactione, & metu, id intelleximus de coactione alia intrinseca, & priuata, ac conditincta ab ea, quam bellum ipsum secum affert: nam certum alioquin est, pacta omnia, quæ hostibus iniuste bellantibus fiunt, fieri cogente ipso bello, cuius vitandi causa, ea omnia pacta fiunt, quæ si bellum abesset, non fierent. Sed tamen propter publicum pacis bonum, quod sine valore, & obligatione talis fidei obtineri non posset iure gentium data est obligatio iis pactis, quod similiter in casu nostro propter eandem rationem dicendum est: neque ad hanc obligationem iniurandum videtur necessariò requiri, sicut nec ad pacta, quæ cum hostibus in bello fiunt. Alia verò argumenta leuiora, quæ aliqui afferunt ad probandum, non debere seruari fidem hæreticis in saluo conductu, vel aliis pactis, videri possunt apud Marquez, & Hurtadum locis citatis, qui bene ea dissolunt.

SECTIO III.

An infideles non baptizati possint retinere potestatem, vel Iurisdictionem supra fideles, & an possint ea potestate priuari.

132

Non loquimur de hæreticis, sed de infidelibus non baptizatis, qui non sunt subditi Ecclesiæ, de quibus queri potest, primò an iure ipso careant potestate in subditos fideles, secundò. An possint saltem ob infidelitatem ea potestate priuari. Supponemus breuiter ea, quæ videntur esse extra controuersiam, & postea ad ea, quæ magis esse possunt dubia descendemus.

Infideles sunt capaces dominij veri, & solam rerum, sed etiam personarum.

In primis ergo certum est infideles esse capaces dominij veri, & legitimi, non solum aliarum rerum, sed etiam personarum, seruorum,

ancillarum, &c. Et quidem de dominio bonorum non est dubium, quod infideles habeant rerum dominium suorum bonorum, ut definitur traditur de Indis infidelibus Paulus III. in quadam sua Bulla, cuius meminit Coninch *disp. 18. dub. 10. num. 160.* De dominio etiam, quo vnus est dominus alterius hominis tanquam serui, certum est, posse illud esse penes infideles, qui verè & propriè possunt habere in suo dominio seruos bello captos, vel alio iusto titulo ad seruitutem inducendam. Certum etiam est, posse infideles non subditos Principibus Christianis habere in suo dominio seruos fideles, si aliquo iustus titulus intercessit ad seruitutem inducendam. Vnde certum denique est, posse retinere etiam iurisdictionem in subditos fideles, neque hos eo ipso, quod ad fidem conuertantur, fieri exemptos, & liberos à potestate, & iurisdictione Principis infidelis, cui ante legitime subdabantur.

Doctrina hæc colligitur appetè ex Scriptura, utrumque dominium, tam reale in seruos fideles, quam iurisdictionis in subditos etiam fideles agnoscere, in domino, vel Principe infideli. Et quidem de dominio in seruos Christianos, sententia clarissima. Ad Ephes. 6. *Serui obedite domino carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vi seruorum Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut domino, & non hominibus: scientes, quod vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.* Quod idem repetit ad Coloss. tertio, & ad Titum 2. erant autem Domini tunc plerumque infideles, & Pagani. Vnde Petrus epist. 1. cap. 2. de seruis etiam dominorum infidelium loqui videtur, dum dicit: *serui subditi estote in omni timore domini, non tantum bonis, & modeste, sed etiam discitis.* Et Augustinus psal. 124. rationem reddidit, dicens: *Christus non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos.* Quod etiam confirmat concione 3. in psal. 118. & Auctor quæstionum noui, & veteris testamenti sub eiusdem Augustini nomine quæst. 35. & in Concilio Grangensi can. 3. relato in cap. si quis seruum 17. quæst. 4. anathema infligitur eis, qui seruo sub prætextu religionis fugam suaserit; in quo videtur esse sermo de prætextu religionis Christianæ, quia Concilium celebratum fuit tempore Syluestri Papæ, in quo domini Gentiles plures habebant seruos Christianos. Ratio autem est clara, quia sicut infideles capaces sunt dominij legitimi circa res alias, sic etiam dominij circa seruos, nec hoc dominio propter serui fidem priuantur, si eum à sua fide non turbant.

De dominio etiam iurisdictionis in subditos fideles sunt innumera Scripturarum loca, in quibus ea potestas supponitur, per solam subditorum conuersionem ad fidem, vel propter dominorum infidelitatem non delicti. 1. Petri 2. *subditi estote omni humane creaturæ propter Deum, siue Regi, tanquam præcellenti, &c.* & infra: *Regem honorificate, Ad Roman. 13. omnis anima potestatibus superioribus subiecta sit, & infra, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ubi legitima iurdictio supponitur in Principibus infidelibus; quales tunc omnes erant, nam conscientia non obligat ad obediendum præcipienti*

pienti sine legitima potestate. Quod idem significavit Christus Matth. 2. 2. iubens reddi tributa Caesari, verbis illis: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, & quae sunt Dei Deo.* Quod praeceptum inculcarunt frequenter Apostoli, & Apostolici vii, ad delendas calumnias infidelium, qui religionem nostram accusabant, quod doceret negare Principibus debitam obedientiam. Vnde Paulus ad Titum 3. ei iubet, vt documentum hoc subditis omnibus reuocet in mentem: *Admone illos, vt Principibus obediant.* Vnde sancti Patres frequenter etiam hoc documentum fidelibus inculcabant; Clemens Papa libro 4. Constit. capit. 1. *estote, inquit, subiecti omni Regi, & Potestati in xpo, quae Deo placent tanquam ministris Dei, & impiorum iudicibus.* Et infra; *exhibete eis omnem metum debitum, omne vestigal, omne tributum, &c.* quod idem repetit libro 7. cap. 17. eodem modo loquitur Tertullianus lib. ad Scapulam capit. 2. *Christianus, inquit, nullus est hostis neque Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui necesse est, vt & ipsum diligat, & reueretur, & honoret, & saluum esse velit.* Polycarpus apud Eusebium libro 4. Histor. cap. 14. aliàs 15. de infidelibus Principibus sic loquitur: *Magistratibus, & Potestatibus à Deo constitutis, eum honorem, qui nostra saluti, ac religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur.* Eodem modo loquuti sunt alij Patres, Basilus in moralibus regula 79. Hieronym. epist. 4. post. medium, Chrylost. in epist. ad Roman. homil. 23. Origen. lib. 9. in epist. ad Rom. Oecumenius, Nazianzenus, Ephiphanius, & alij quos affert Suarez de defensione fidei, libro 3. cap. 1.

135 Ratio communis, & vera est, quia potestas haec iurisdictionis, non fundatur in gratia sanctificante, nec in fide, sed in ipso iure naturae, quo homo capax est potestatis, & iurisdictionis ad regendos alios, modo interueniat iustus titulus subiectionis, siue quia bello iusto debellati sunt siue quia hanc potestatem in aliquem transfulerunt, siue in vnam personam veram qualis est Rex, siue in vnam personam fictam qualis est Respublica, & Senatus constans certo Senatorum numero, penes quos summa potestas residet; siue quia consuetudine, vel praescriptione legitima iurisdicção comparata sit. Semel autem comparata, & radicata non amittitur de se per infidelitatem Principis, vel per fidem subditorum sicut non amittitur per alia peccata mortalia Principis, vel per subditorum sanctitatem: potest enim peccator potestatem habere in probos, & iustos subditos, & potest eos bene regere, quamuis ipse in se improbus, & infidelis sit.

136 Non defuerunt olim, ac etiam nunc qui praetextu libertatis fidei voluerint fideles liberos esse, ab omni seruitute, & subiectione respectu infidelium, quos tamen bene impugnatur Suarez dicto lib. 3. cap. 1. & 4. Pro quibus afferri possent primò illud Pauli 1. ad Cor. 7. *nolite fieri serui hominum, cuius rationem praemiserau dicens, pretio empti estis, quasi dicat, indignum esse, eum, qui iam à Christo ingenti pretio redemptus est, adhuc in seruitute remanere.* Ad hoc tamen facile responderetur Paulum ibi non loqui de seruitute civili, vel pœnali: de hac enim iam paulò ante dixerat, *seruus vocatus es? non sit tibi cura: & concludit: vnusquisque in quo vocatur.* Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

tus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. Loquitur ergo ibi de seruitute morali & vitiosa, qua homo homini ita vult obsequi, vt eum Christi imperio praeferat: *nemo enim potest duobus Dominis seruire*, nimirum contraria praecipientibus ita explicat Suarez illo c. 4. m. 2. 2. & alij interpretes. Mihi tamen, vt verum fatear, magis placet aliorum interpretatio, quos sequitur Cornelius etiam in eum locum, intelligentium ea verba de seruitute civili. Quamuis enim Apostolus suadeat omnibus, in eo statu permanere, in quo ad fidem vocati sunt negans posse, (vt aliqui sibi blandiebantur) praetextu fidei suscipere, & libertatis Christianae, seruum se eximere à potestate sui Domini, etiam Pagani, ostendit tamen, si licet fieri possit, satius, & vtilius esse Christianis, quod liberi sint à civili seruitute, vt liberius possint Deo, & religioni vacare. Qui est legitimus sensus verborum illorum praecedentium: *Seruus vocatus es? non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Quae verba licet alij, quos sequitur Suarez ibi, intelligant in sensu contrario, quasi dicat tantum abesse, quod propter fidem susceptam, praetendas seruitutem excutere vt licet posses libertatem obtinere, melius, & securius esset permanere in seruitute propter maiorem humilitatem: melius tamen alij, quos sequitur idem Cornelius explicant in sensu praedicto, quem verba ipsa praeserunt: nimirum, licet fides non det tibi libertatis contra Dominum, si tamen in potestate tua sit, magis expediet libertatem procurare, & acceptare: cuius rationem reddunt verba sequentia: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum: quasi dicat, qui in libertatem filiorum Dei vocatus est, non debet subiici iugo seruitutis humanae, quae magis obesse, quam prodesse communiter potest, ad perfectionem Christianam consequendam.*

Secundò obicit potest, quia lex Evangelica attulit fidelibus libertatem contrariam subiectioni, qua homines antea subdebantur Domino, & potestati etiam Principum infidelium, ideo enim Christus Matth. 17. cum tributum ab eo exigeretur, interrogauit Petrum: *Reges terrae à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* Respondente Petro, *ab alienis.* Christus concludit; ergo liberi sunt filij. Quo loco filiorum nomine omnes fideles comprehendisse videtur. Quia vt dixit Augustinus lib. 1. quaest. 23. *omnes sunt filij regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena:* prout eius verba refert Suarez dicto libro 3. defens. fidei capite 4. numero 2. & quia omnes sunt de familia Christi, atque ideo participant eandem exemptionem à tributis, vt indicauit Litanus ibi, & Hieronymus dicens. *Ille pro nobis crucem sustinuit, & tributum reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis, à vestigalibus immunes sumus.* Quae verba ad omnes fideles extendi videntur: pro illis enim omnibus Christus crucem sustinuit, & tributa reddidit; quam Hieronymus affert, vt radicem libertatis, & exemptionis, à tributis, atque adeo à Iurisdictione: nam iurisdicção Principis, & potestas exigendi tributa semper sese inuicem comitantur.

Respondeo, circa sensum verborum illorum Christi varias esse Patrum, & Doctorum sententias, de quibus ultra alios videri potest Suarez in *defensione fidei dicto lib. 3. cap. 4. numero 20. & lib. 4. cap. 5. & cap. 8. num. 16.* Certum autem est, verbis illis non fuisse exemptos fideles omnes, imo nec iustos à subiectione debita Principibus humanis, & temporalibus, nec à tributorum solutione; cum Apostoli hoc subiectionis debitum omnibus postea fidelibus prædicauerint. Imò ex loco illo arguunt Patres ad probandam filiationem naturalem Christi, qui ex eo quod filius naturalis Dei summi Regis esset, probauit se non esse tributum debitorem, Chrysostomus, & Hilarius apud Suarez *dicto lib. 3. num. 5.* Et in eo sensu loquutum August. *suprà adductum*, de filiis solum naturalibus, de quibus solis poterat Petrus intelligere, probat idem Suarez *ibi num. 4. & 5.* cum Iansenio, & Salmerone, quos affert. Nec enim Augustin. significauit, fideles, aut iustos omnes intelligi ibi à Christo *filiorum* nomine, qui vectigal non debent: cuius Augustini verba non retulit fideliter Suarez *illo c. 4.* Sunt enim diuersa, propter melius ea retulit *dicto lib. 4. num. 4.* nimirum hæc. *Quod dixit, ergo liberi sunt filij: in omni Regno intelligendum est, liberos esse Regni filios, id est, non esse vectigales, multo ergo magis liberi esse debent in quolibet Regno terreno filij Regni illius sub quo sunt omnia regna: in quibus verbis propositionem statuit vniuersalem; nempe filios naturales supremi Principis in eo Regno esse immunes à soluendis tributis: ex qua propositione infert aliam vniuersalem; scilicet, illius Regis filios (nimirum naturales) cui alia Regna, & Reges subiacent, immunes, & liberos esse in omnibus illis Regnis, quæ paterno subiacent imperio. Vnde immediate, & directè solum infertur immanitas Christi, qui filius naturalis erat supremi Regis, cui subiacent omnia Regna terrena. Fateor, Christum exemptionem illam significasse ampliandam, vel reipsa, vel saltem fundamentum esse illam ampliandi ad eos, qui sunt de eius familia, in quo sensu videtur Hieronymus *suprà* relatus ea verba intellexisse, & ex eisdem verbis probat Suarez *dicto cap. 4. num. 8. & sequentibus*, Christum non solum probasse suam immunitatem, quam solum directè probabat filiatione, sed etiam potestatem communicandi immunitatem aliis, & de facto eam communicasse, vel ostendisse communicari posse, & communicandam Petro, & eius successoribus, ut significant verba illa: *ut non scandalizemus eos, solve pro me, & c.* Secus enim scandalizemus eos, si Petrus non soluere, communicata ei à Christo immunitate, quam tamen quia noluit fidelibus omnibus communicare, quia nec id expediebat, non competitur in vniuersum. Imò ex eisdem verbis, quibus de cæteris Apostolis Christus nihil dixit, sed de solo Petro, infert Abulensis *ibi* quæst. 200. cuius sententiam non improbat noster Cornelius *ibi*, alios Apostolos, qui saltem habebant uxores, & liberos, & erant capita familiarum, soluisse didrachma ex communibus loculis, quos portabat Iudas, vel ex elemosynis amicorum, idque Marthæum *ibi* præsupponere, & præterire ut rem parui momenti, & notam: narrare verò solum didrachma Christi, quia illud per miraculum inuentum fuit in ore piscis, ut ostenderet se ad illud non obligari, nec Cæ-*

sari esse subiectum. Vnde idem Cornelius parum antea præmiserat, non rectè quosdam ex illis Christi ratiocinatione intulisse iure diuino enim, quod Christus dictauerit, æquum esse, quod eximerentur, prout postea exempti fuerunt, & ideo dici posse hanc exemptionem esse de iure diuino: nimirum dictante hanc exemptionem esse concedendam, de quo tamen modò non disputo, an verum sit. Sufficiens enim ad verba Hieronymi *suprà* relata explicanda, si dicamus cum Suario *dicto lib. 4. cap. 8. num. 16. & 17.* ipsum pronomine illo, *nos*, non intellexisse omnes fideles, sed se, & alios presbiteros, vel clericos, qui magis propriè sunt de familia Christi, & quibus communicauit, vel communicandum dictauit hanc exemptionem, propter peculiarem coniunctionem ad familiam filij naturalis summi Regis, cui iure suo exemptio, & immunitas competit.

Tertiò obici solent verba Pauli 1. ad Cor. 6. ubi reprehendit fideles, eo quod apud tribunalia iudicum infidelium litigarent. *Andet aliqui vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus: quanto magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis; contemptibiles, qui sunt in Ecclesia illos consistunt ad iudicandum. Ad verendum vestram dico: si non est in vobis sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Ad hoc tamen facile responderetur, obijectionem illam, non eò tendere, vt neget, vel tollat iurisdictionem Iudicis infidelis; sed imprimis vt reprehendat lites ipsas, quæ pietumque delictum, & iniuriam vnus litigantis supponit, ideo enim subdit: *Iam quidem omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.* Deinde etiam propter scandalum, poterant enim infideles scandalizari, videntes fideles, qui pacem charitatem, & patientiam euangelicam prædicabant, & profitebantur, iudicio contendere in suis tribunalibus, & ad minus anxietatem circa bona terrena ostendere, & aliquando etiam fraudes & iniurias in fratres eiusdem professionis; quod indecorum erat religioni Christianæ, maxime illis temporibus: sicut si, nunc, vnus Conuentus aduersus alium eiusdem religiosæ familie conuentum, circa pecuniam litigaret coram externis iudicibus, non posset id fieri, sine dedecore aliquo ipsius ordinis.*

His suppositis quæ faciliora sunt, Difficultas præcipua esse solet, an licet infideles Ecclesie, vel Principibus Christianis non subditi, non prout iure potestatis, possint tamen ab Ecclesia, eiusmodi potestate, & iurisdictione privari. In quo puncto conuenire videntur iam sepe omnes, non posse Ecclesiam potestate directâ eiusmodi infideles sua potestate in subditos fideles privare, quidquid sit, An potestate indirectâ id possit, Nam licet Alvarus Pelagius, & Hostiensis citantur, quasi concedant eam potestatem directam

nam, ut refert Suarez in *presenti disp.* 18. *sect.* 5. num. 2. Alij tamen omnes eam directam potestatem negant, quos congerit, & sequitur idem Suarez *ibi* num. 3. Et probatur breuiter, quia nec ipso facto iure naturæ, vel diuino priuantur sua potestate; cum id nullo scripturæ testimonio probetur, sed potius contrarium ex scriptura colligatur, ut supra vidimus: nec fundamentum vllum est ad id asserendum; cum gratia aut fides non destruat naturam, nec tollat, quæ ius naturale vnicuique tribuit. Difficultas solum est de potestate indirecta, de qua etiam conueniunt Theologi dari in Ecclesia duplici titulo; Primus est, iure defensionis legitimæ, quando scilicet Princeps infidelis persequitur, & vexat iniuste subditos fideles, vel impedit iniuste fidei prædicationem, aut propagationem, vel alias graues iniurias in nostram religionem committit. Tunc enim ius habet Ecclesia defendendi se, & suos fideles, atque adeo priuandi Principem infidelem sua potestate, si id necesse sit, ad fidei, & fidelium tutelam. Secundus titulus est iure gubernationis, quia Ecclesia habet ius regendi, & gubernandi fideles in ordine ad salutem consequendam, & ad finem spirituale, ad quem finem potest potestate indirecta alterare, & disponere res temporales, ut deseruire possint ad finem spirituale: quare si ad hunc finem necesse esset eximere subditos aliquos à subiectione, quæ pendet à Principe temporali infideli, poterit hos subditos ab ea subiectione legitimè eximere & consequenter priuare Principem illum potestate in eos subditos, non potest enim Princeps retinere amplius potestatem iurisdictionis in eos subditos, qui legitimè ab eius iurisdictione, & potestate liberati, & exempti sunt. Aduertit autem bene Suarez *dicta* *sect.* 5. n. 9. hunc secundum titulum competentem ratione gubernationis non conuenire aliis Principibus Christianis, sed soli Ecclesiæ, vel summo Pontifici, aliis verò Principibus, solum ut motis à Pontifice, & vocatis ad executionem huius potestatis.

141 Dissensio est, an hæc Ecclesiæ potestas sit vniuersalis, ita ut quolibet Princeps infidelis possit potestate, & iurisdictione in subditos fideles priuare, an verò sit limitata ad casus illos solos, in quibus id necesse sit ad regimen spirituale, & ad salutem subditorum fidelium. Primam partem, & potestatem illam vniuersalem concedere videtur S. Thomas *quest.* 10. *art.* 10. in corpore his verbis: Potest tamen iuste per sententiam, vel ordine, an verò nationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prelationis tolli, quia infideles merito sua infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei; sed hoc quidem Ecclesiæ quandoque facit, quandoque autem non facit. Et postea cum explicasset, quomodo ea potestate utatur Ecclesiæ in infideles superiores, qui subduntur in temporalibus Principibus Christianis, de illis aliis non subditis ita dicit: In illis verò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ vel eius membris non subiaccunt, prædictum ius Ecclesiæ non statuit, licet possit instituere de iure, & hoc facit ad scandalum vitandum. Quare S. Thomas in hac fuisse sententia faretur Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 5. de Romano Pontifice *cap.* 7. & Valentia in *presenti* *quest.* 10. *puncto* 8. qui idem utramque partem probabilem indicat: Faut etiam Suarez *dicta* *disp.* 18. *sect.* 5. num. 8. & *lib.* 3. *defensionis* si-

dei *cap.* 30. num. 6. eam potestatem concedens in Ecclesiæ, quoties Princeps infidelis habet subditos fideles, licet propter scandalum vitandum putet, necessarium esse communiter loquendo, quod Princeps fidem, vel fideles impediatur.

142 Alij tamen communiter negant hanc potestatem indirectam in Ecclesiæ, ob solam Principis infidelitatem, nisi redundet in fidei præiudicium, ita Caietan. Bella. Lorca, & alij quos affert, & sequitur Hurtado *disp.* 77. *sect.* 2. *qui* §. 11. addit, nec posse Ecclesiæ eos Principes regno suo priuare, ob solum timorem de impedimento fidei, aut fidelium diuexatione: in eadem sententia est Sorus, quem affert & sequitur Coninck *disp.* 18. *dub.* 10. num. 160. Turrianus in *presenti* *disp.* 52. *dub.* 1. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *puncto* 8. num. 6. & sequentibus, qui alios afferunt.

143 Possumus fortasse sensum vtriusque partis ferè conciliare: omnes enim admittunt, hanc potestatem Ecclesiæ non esse directam, ut diximus, sed indirectam: quare solum videtur ei concessa propter aliud, nempe propter bonum spirituale, & finem salutis æternæ: atque adeo tunc solum exercenda erit, quando eius vsus necessarius sit ad eum finem: si enim necessarius non sit, sed potius vel inutilis, vel etiam noxius, non est credibile hanc potestatem datam esse Ecclesiæ ad destructionem, & non solum ad ædificationem. Quod à fortiori probari potest ex potestate indirecta, quam habet Ecclesiæ circa res temporales suorum fidelium; circa quas, ut suppono non potest aliquid disponere, nisi indirecte, & quando id requiritur ad finem spiritualis gubernationis, & salutem fidelium, vel bonum fidei, ut cum communi probat, & docet latè Bellarm. *lib.* 5. de Romano Pontifice *cap.* 5. & sequentibus. Quare non est concedenda maior Ecclesiæ potestas circa Regna, & bona temporalia infidelium, qui non sunt Ecclesiæ subditi, vel Principum Christianorum: non est enim credibile, quod maior, & minus limitata sit Ecclesiæ potestas indirecta in bona temporalia infidelium non subditorum, quam si in bona temporalia fidelium, & sibi spiritualiter subditorum. Vnde rursus consequi videtur, quod si ablatio potestatis, & iurisdictionis non sit necessaria ad regimen spirituale, & ad bonum religionis, non potest Ecclesiæ eiusmodi infideles, potestate, & iurisdictione priuare, etiam circa subditos fideles: cum hæc etiam potestas, & iurdictio computetur inter bona temporalia Principum infidelium.

144 Duplex ergo remanere potest controuersia inter vtriusque partis Doctores: altera de nomine, altera quidem de re, sed non tam de iure, quam de facto. Prima ergo esse potest, An licet Ecclesiæ non possit hac potestate vti circa infideles non subditos, nisi quando id exigit fidei bonum, vel necessitas, dicendum tamen sit, tunc non deesse potestatem in Ecclesiæ, sed propter scandala, vel alia inconuenientia Ecclesiæ abstinere ab vsu, & exercitio suæ potestatis: sic enim videtur loqui S. Thomas *dicto* *art.* 10. & Suarez *dicta* *sect.* 5. num. 8. quem tamen loquendi modum alij videntur negare, & reprobare, supponentes eo casu deesse potestatem, quæ cum sit indirecta, intelligi debet solum ad eum vsu, qui necessarius, & utilis sit ad finem spirituale, & non ad alios casus. Dixi tamen, hanc posse esse quæstionem ferè de nomine: certum enim videtur, vsu illius potestatis,

An licet Ecclesiæ non possit hac potestate vti circa infideles non subditos, nisi quando id exigit fidei bonum, vel necessitas, dicendum tamen sit tunc potestatem non deesse in Ecclesiæ, & cur ea non vitetur.

testatis, quando ad bonum spirituale non expediret, imò noceret, fore illicitum, atque adeo eo casu potestas Ecclesiæ esset impedita ex defectu circumstantiæ requisitæ, ne prodiret in suum actum. An verò dicendum sit id prouenire ex defectu potestatis, vel ex alio capite, potest vtrique loquendi modus in sensu debito admitti. Quod explicare possumus exemplo potestatis dispensandi in votis, quam Pontifex habet simpliciter, & absolute, sed quia, eam habet ad ædificationem, & non ad destructionem, requiritur in primis causa rationabilis, ad eius usum, quæ si desit, non potest dispensare. Imò (vt exemplum sit magis ad rem nostram) contingere potest, quòd adsit causa sufficiens ad dispensandum, & tamen dispensatio non possit licite concedi propter alia inconuenientia, vel scandala, quæ ex dispensatione sequerentur. v.g. si aliquis petat dispensationem voti castitatis, propter vehementes carnis stimulos, quos patitur; Pontifex autem sciat concessa semel dispensatione, illum ducturum coniugem hæreticam, de qua timeri possit, quòd corrumpet fidem familiæ vel subditorum, si eos vir habeat: tunc quidem Pontifex, qui in usu suæ potestatis attendere debet non solum ad bonum personæ petentis, sed etiam ad bonum commune Ecclesiæ, vel aliorum, debet vtrique abstinere à dispensatione concedenda: cuius concessio in iis circumstantiis esset magis in destructionem, quàm in ædificationem. Vnde eo casu dicere possemus in vno sensu, non prouenire ex defectu potestatis, quòd non dispense Pontifex, sed propter inconuenientia, quæ ex usu potestatis sequerentur: nam reuera Papa potestatem habet ad dispensandum cum causa, qualis est tentatio vehemens, quam orator patitur: sed tamen impeditur usus illius potestatis ab inconuenientibus extrinsecis. In alio autem sensu possemus etiam dicere, non habere tunc Papam potestatem ad dispensandum, quia quamuis ex parte oratoris sit causa sufficiens ad dispensationem; Papa tamen debet attendere ad bona, vel damna publica, vel extrinseca: quare si omnibus pensatis dispensatio plus nocet, quàm profit Ecclesiæ, non potest concedi, cum potestas hæc data sit ad ædificationem, & non ad destructionem, & per consequens omnibus pensatis, deest potestas in eo casu, & in iis circumstantiis ad dispensandum. Sicut verè dici potest, quòd ignis etiam applicatus non potest comburere lignum madefactum: quia licet nihil desit ex parte potentie actiue, impeditur tamen eius actio per resistantiam passi. Vtrique ergo loquutio est vera in diuerso sensu, nempe non prouenire ex defectu potentie ignis, quod tunc non operetur, atque etiam prouenire ex defectu potentie, quia licet ignis habeat suam potentiam ad comburendum, non tamen habet potentiam ad comburendum lignum madefactum: similiter Pontifex habet potestatem dispensandi in voto castitatis cum patiente graues tentationes, &c. Non tamen potest cum eo dispensare in his circumstantiis in quibus dispensatio vergeret in damnum Ecclesiæ: quare in diuerso sensu potest tribui, & non tribui defectui potestatis, quod in eo casu non dispenseret. Pariter ergo in casu nostro iuxta diuersos sensus dici potest prouenire, vel non prouenire ex defectu potestatis, quod Ecclesiæ, vel Pontifex, non priuet Principes in-

fideles sua potestate, & iurisdictione in subditos fideles. Datur enim verè in Ecclesiâ potestas ad eos priuandos; aliquando tamen concurrunt impediant, propter inconuenientia, & damna publica, quæ consequerentur. Nam per se loquendo, Ecclesiâ potest eos potestate in subditos fideles priuare, eosque ab ea subiectione eximere, quia per se loquendo, semper existimari potest necessaria ea exemptio ad bonum fidei, & ad fidelium libertatem, ac securitatem: per accidens tamen propter maiora alia inconuenientia, quæ sequuntur ex huius potestatis usu, debet ab eo plerumque Ecclesiâ abstinere, quia circumstantie tales resistent, & impediunt potestatem illam, ne prodeat in suum actum. Et in hoc sensu intelligi potest S. Thomas, dum hoc non tribuit defectui potestatis, sed scandalo, vel alius periculis, quæ timeri prouident debent. In alio tamen sensu, dici etiam potest, deesse potestatem in Ecclesiâ ad id faciendum in talibus circumstantiis, quia potestas Ecclesiæ non est, nisi ad ædificationem, atque adeo non est, nisi ad priuandos infideles sua potestate in bonum fidei, non verò quando omnibus pensatis, resisteret in maius fidei detrimentum, propter reuera resisteret in hoc casu. Redderetur enim fides & eius prædicatio maximè odiosa, & scandalosa Principibus infidelibus, si subditos ab eorum obedientia separaret: idèque Christus, & Apostoli tantopere curarunt subiectionem, & obedientiam in subditis fidelibus versus Principes infideles verbis, & exemplis confirmare, vt omnem timendi occasionem ab infidelium Principum animis auerterent, & maximum hoc fidei impedimentum de medio tollerent: & hac ratione vtriusque partis Doctores quoad rem ipsam conciliari posse videntur, licet verbis videri possent contraria docuisse.

Solum ob stare possent verba S. Thomæ supra adducta, quibus plus aliquid significare videtur, & agnoscere potestatem aliquam directam in Ecclesiâ, dum dicit, posse infideles iuste per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, iure dominij, vel prælationis priuari; quia merito suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Vbi S. Thomas videtur supponere potestatem Ecclesiæ directam, ad quam pertinere videtur actus puniendi: solus enim superior punire potest subditum, ob eius delicta. Respondet S. Thomam non loqui de pena propria, quia Ecclesiâ punire intendat eiusmodi Principes ob delictum infidelitatis, sed solum de pena materialiter sumpta, seu de malo pœnæ, quod quidem à Deo infligitur formaliter, vt pena infidelitatis, ab Ecclesiâ solum vt medium ad bonum fidei. Quia tamen ipsi infideles conqueri possent, quòd Ecclesiâ eis regna, & dominia propria collectis responderet tacite huic querelæ dicendo, quòd ipsi sibi imputent, & suæ infidelitati, quæ occasio est datæ Ecclesiæ vtendi sua potestate indirecta ad bonum fidei, & ob hanc culpam dignos quidem esse apud Deum ea pœna, & ideo iuste eam pati, dum Deus hanc potestatem indirectam Ecclesiæ attribuit, cuius ministerio Deus iuste punit eorum infidelitatem, quando Ecclesiâ auctoritatem Dei habens, & potestate indirecta vtens, eos Regnis, & potestate indirecta priuat. Alij aliter S. Thomæ mentem explicant. Videatur Horrado

disp. 77. sect. 2. §. 10. Lorca dicto art. 10. Suarez dicta sect. 5. num. 8. Turrianus disp. 5. 2. dub. 1. & alij interpretes, qui varias afferunt S. Thomæ explanationes.

146 *An ad hoc, ut Ecclesia hac potestate utatur, necessarium sit, quod infideles in iuriis fidelibus inferant, eos persequendo, vel prædicationem impediendo, &c. An verò sufficiat, eos esse infideles, à quibus mala hæc timeri possint, ut Ecclesia præueniat & liberet fideles ab eorum potestate, & subiectione.* Suarez dicta sect. 5. n. 8. & aliis locis supra citatis significat, solam Principis infidelitatem sufficere. Alij id negant, Coninck disp. 18. dub. 10. n. 160. Hurtado ubi supra §. 8. & 11. ubi alios plures affert. Dixi tamen supra, hanc questionem, licet sit de re, magis tamen esse de facto, quam de iure: cum enim dictum sit, potestatem hanc Ecclesiæ, non esse directam, sed indirectam, quatenus potest disponere circa temporalia, quando id necesse est ad bonum, & ad finem spiritualem; tota controuersia erit, an infidelitas sola Principis sufficiat, ut ad bonum fidei necessarium iudicetur tollere ab eo Principatum, & potestatem in subditos.

147 Ego puto in primis, non esse in hac re bonam regulam in vniuersum, quam videntur supponere Coninck num. 160. & Hurtado. §. 1. nempe ante iniurias illatas contra fideles, vel fideles non posse Principem ab Ecclesia ob solum timorem iniuriarum priuari. Et quidem ipsemet Hurtado paulo post nempe §. 15. admittere videtur, sufficere, quod ex Principis natura, & gestis timeatur periculum proximum, metu cadente in virum constantem: quare non videtur satis constans in exigenda iniuria iam actu illata. Fateor ad lædendum alium iure defensionis requiri ad minus, quod ille inceperit aliquo modo te aggredi, saltem volendo, & decernendo iniuriam tibi inferre, ut ostendi tom. 1. de iust. disp. 10. sect. 7. n. 156. & sequentibus. Cæterum in casu nostro id non requiritur, quia non agitur solo iure defensionis, sed titulo potestatis indirectæ supra res temporales, quando id necessarium est ad finem spiritualem, & supernaturalem: ad quod non opus est expectare iniurias illatas: sed sufficit periculum proximum eorum maiorum inferendorum contra fidem, & eius propagationem.

148 *An sufficiat sola infidelitas Principis.* Cæterum non puto etiam in vniuersum ad hoc sufficere infidelitatem Principis solam: nec id Suarez videtur concessisse, nam semper requirit periculum morale; & clarius in præsentia dicta sect. 5. num. 8. id explicuit, & rationem subiungit; quia in rebus moralibus vitandum est periculum, priusquam speciale nocumentum eueniat: quod principium certe verissimum est, quando periculum est proximum, & morale, & ideo etiam in hoc negotio obseruandum est, ut consideratis circumstantiis in particulari, tale iudicetur esse fidelium periculum. Non ergo in vniuersum, sed attentis particularibus circumstantiis, ferri potest iudicium de periculo sufficienti, ob infidelitatem Principis. Vnde si experientia constaret, Principem infidelem bonæ indolis esse, & sinere pacatè vivere fideles, nec fidei prædicationem impedire, ut non paucos sæculo nostro experti sumus Principes apud Iapones, & alias Prouincias orientales; infidelitas Principis non daretur Ecclesiæ, ut eos potestate, & iurisdictione, in subditos fideles priuare posset. Denique ad hoc ipsum iudi-

cium considerare oportet, ne fortè maius sit damnum, quod ipsa fidei prædicatione in genere pati potest, si Principes infideles concipiant, hunc fidei prætextum vsurpari, ad regna dominique sua inuadenda, & ex hoc capite fides ipsa odiosa reddatur, tanquam titulus politicus ad occupanda aliorum bona: quod si semel sibi Principes infideles persuadeant, plus nocumenti afferet religioni, quam prodesse possit, potestas amouendi Principem aliquem infidelem, ad utilitatem subditorum fidelium.

Ex dictis de potestate Ecclesiæ, ad priuandos Principes infideles iurisdictione in subditos fideles: inferitur iam facile, quid dicendum sit de potestate eiusdem Ecclesiæ, ad priuandos infideles Christianis non subditos dominio, & potestate, quam habet in seruos fideles. Supponimus autem, interuenisse titulum iustum seruitutis, quo titulo interueniente, diximus supra, conuersionem serui ad fidem non eximere eum ipso facto à vinculo seruitutis, quando dominus non subiacet in temporalibus Principi Christiano. Dubium solum esse posset, An possit Ecclesia potestate sua, saltem indirecta, priuare eo casu dominum infidelem dominio in seruos fideles. In quo puncto eadem possunt esse opiniones, quæ in præcedenti de potestate iurisdictionis: quare Lorca, Boñes, & alij, quos affert Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 8. num. 8. concedunt posse Ecclesiam priuare dominos infideles Christianos non subditos dominio seruatorum fidelium, etiam quando domini permittunt seruos Christianè viuere: Communis tamen sententia eo casu id negat, quam tenent Suarez, Molina, Nauarrus, Turrianus, Coninck, & Conarr. quos affert, & sequitur idem Castro Palao ibi num. 9. quibus consentit Hurtado disp. 76. §. 1. & Disp. 77. sect. 2. §. 9. Ratio autem est eadem, quia subiectio seruitutis iustæ, non dependet à fide, vel infidelitate ex natura sua, & aliunde non expediebat ad bonum ipsius fidei hæc potestas Ecclesiæ ita absoluta ad priuandos infideles non subditos dominio suorum seruatorum, quos pacificè permittunt Christianam fidem suscipere, & retinere; imò id redderet fidem non parum odiosam, & daret occasionem vehementem, ut domini impedirent seruatorum conuersionem, vel ne fidei prædicationem audirent, ne eo pacto suis seruis spoliarentur. Sicut autem diximus posse Ecclesiam Principes infideles priuare iurisdictione in subditos fideles, quando id necessarium esset ad titulum fidei: ita dicendum est, posse priuare dominos infideles, etiam non subditos, dominio in seruos fideles, quando id ad bonum fidei necesse fuerit. Considerandæ tamen sunt circumstantiæ omnes, ut diximus, ne fortè ex vsu huius potestatis, maius detrimentum fidei, & religioni immineat, & cum proportionem applicanda est doctrina puncti præcedentis.

Obiici solet exemplum matrimonij, in quo coniux ad fidem conuersus, & baptismo susceptus, non solum si alter coniux infidelis nolit sine iniuria creatoris cohabitare, quo casu potest fidelis vinculum matrimonij dissoluere contrahendo cum alio fidei, ut colligit Innocentius III in c. quanto, & in c. gaudemus, vel sic, qui autem de Diuortio, ex verbis Pauli 1. ad Cor. 7. dicentis quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruatur subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: sed etiam quando coniux infidelis cohabitare

149 *Quid dicendum de potestate Ecclesiæ ad priuandos infideles Christianis non subditos dominio, & potestate, quam habet in seruos fideles.*

150

vult, sine iniuria creatoris, tenuit tamen conuer-
ti, potest, & debet coniux fidelis ab eo diuertere,
vt cum communi docet Thomas Sanchez *lib. 7.
de matrimonio disp. 73. num. 12.* Imò postquam
coniux infidelis requisitus negat obstinatè con-
uersionem, potest fidelis ad alias nuptias transire,
vt docent communiter multi, quos congerit, &
sequitur idem Sanchez *vbi supra, disp. 74. num. 9.*
Ex quibus argumentum fit, vt dixi eodem mo-
do, seruum ad fidem conuersum debere manere
liberum à seruitute, & dominio domini infide-
lis: magis enim firmum, & indissolubile est vin-
culum coniugij, quàm seruitutis: & tamen ob
fidei fauorem dissolui potest, non solum quoad
thorum, & cohabitationem, sed etiam quoad
substantiam ipsius matrimonij.

Aliqui, quos sequitur Sanchez *disp. 73.
num. 7.* dicunt differentiam esse inter vinculum
matrimonij, & seruitutis, quod hoc non dede-
cat, imò deceat humilitatem christianam: illud
verò deceat, quia non expedit fidei iugum du-
cere cum infideli. Hæc tamen ratio difficulta-
tem adhuc habet, quia subiectio seruitutis licet
ad humilitatem conducatur, affert tamen alia gra-
uia inconuenientia, ob quæ Ecclesia non per-
mitte in Prouincijs ei subditis, vt Christianus
sit seruus Pagani, vt videbimus; & seruus ipse si
potest, tenetur se redimere, & ab ea seruitute se
legitimè liberare. Imò quò grauior est subiectio
serui, & maior est potestas domini, quàm con-
iugis, eò magis videtur arcenda, & dissoluenda,
quàm vinculum coniugij.

Alij ergo recurrunt ad meram voluntatem
Christi, qui poterat quidem vtrumque priuile-
gium fidei concedere: de facto tamen scimus ex
scriptura, & Pontificum decretis, concessum fuisse
hoc priuilegium coniugi fidei: cum non con-
stet ex Scriptura, aut Patribus seruis fidelibus
concessum, nec Ecclesiæ datam hanc potestatem
absolutam. Ita Coninch *dicta disp. 18. num. 154.*
Castro Palao *dicta disp. 2. puncto 8. num. 11.* &
alij. Sed de hoc ipso ratio queritur aliqua, vel
congruentia, cur in vno potius, quàm in alio
casu Christus fidelibus aduersus infideles con-
sulere voluerit.

Supposita itaque voluntate Christi diuersa,
affertur potest ratio congruentiæ, & discriminis
supponendo quoad aliquid nullam esse differen-
tiam; nam sicut coniuge infideli nolente coha-
bitare absque iniuria creatoris, potest fidelis di-
uertere, & dissoluere etiam matrimonij vincu-
lum contrahendo cum illo fidei; ita seruus fide-
lis, si nolit dominus eius obsequio sine iniuria
Dei vri, sed eum ad infidelitatem, vel peccatum
graue cogat, poterit se ab ea subiectione, & ser-
uitute aliquin iusta liberare, & fugere, vt no-
tat Suarez *dicta sect. 5. num. 11.* Coninch *vbi su-
pra, num. 161.* & alij, quos ad hoc ipsum attuli
disp. 3. de iust. sect. 2. n. 21. differunt ergo solum,
in casu, quo coniux, vel dominus absque contu-
melia Creatoris sinit eos christianè vivere, in quo
casu coniux fidelis discedere potest, seruus non
potest. Ratio autem differentiæ esse potuit, quia
seruitus non est vinculum mutuum, sed solum
ex parte serui: matrimonium verò est vinculum
mutuum, & æquale ex parte vtriusque. Vnde vi-
detur fieri, quod potestas libera concessa seruis
conuersis ad fidem discedendi à dominis infide-
libus, & abiiciendi iugum seruitutis odiosa esset
dominis, qui iacturam seruatorum incurrerent,

absque villo luctu, atque ideo predicationem fi-
dei sibi noxiam impedirent. Potestas autem con-
cessa coniugi fidei discedendi à coniuge infideli
non affert hoc periculum, quia potestas hæc
vtrique coniugi æquè, & indifferenter concedi-
tur, vt si conuertatur, possit ab altero renuente
conuersionem discedere: quare vtrique coniugi
esset æquè vtilis potestas illa, qua vtrique vri
posset, vt se à proprio vinculo liberaret. Non est
ergo tantum periculum, quod ea de causa fidei
predicatio impediretur. Non enim à feminis,
quæ imbecilliores sunt, & non possent vitiorum
conuersionem impedire; sed nec etiam à viris,
cum iis æquè vtilis conditio proponatur, vt si
renuentibus vxoribus conuertantur, possint ab
iis se liberare, si velint, & alias ducere. Imò &
non raro continget, quod & viri ipsi conuer-
tem renuentes, sed etiam radio prioris coniugij
affectu gaudeant dari vxoribus facultatem dis-
soluendi vinculum coniugij, quod non solum vxor-
es, sed viros etiam ipsos inuitos plerumque ad-
stringit. Potestas ergo dissoluendi vinculum illud
mutuum fidelibus concessa, non reddit fidem
odiosam, sicut redderet potestas data seruis dis-
soluendi vinculum seruitutis, quod nullatenus
dominos, sed solos seruos ligabat.

Huc vsque dictum est de infidelibus non sub-
ditis Ecclesiæ, nec Principibus Christianis, nunc
restat dicendum breuiter de iis, qui subditi sunt
Principibus Christianis, circa quos maiorem po-
testatem habet Ecclesia, vel Principes, & ideo
circa illos nonnullæ, sanctiones, & leges laze
sunt. Nam in primis statutum est, ne infideles
Christianis subditi, siue Iudei sint, siue Saraceni,
siue quouis alio nomine Pagani seruos habeant,
vel ancillas christianas ita habeant in leg. *Iudeis, item in*
Cod. de Christiano mancipio, leg. Deo nobis, c. de
Cod. de Episc. & Cleric. in cap. Iudei 2. & in cap.
nulli Iudeo, de Iudeis, & Saracenis, & in cap. man-
cipia, & in cap. nulla, cum alijs distinct. 54.

Circa quam prohibitionem aduertunt primò
Doctores, nomine paganorum, hic intelligi etiam
cathæcumenos, quia licet fidem Christi corde re-
neant, baptismo carent, & in foro Ecclesiæ non
numerantur in grege fidelium, ita Hurtado *d. 76.
§. 36. in fine.* Aduertunt secundò non prohiberi,
quòd Christianus possit esse colonus, siue aduen-
ticius, vel originarius in terris, vel prædijs infi-
delis, quando nec interuenit cohabitatio, nec fre-
quens familiaritas cum infideli, vt colligi vide-
tur ex cap. *multorum, de Iudeis, & ibi notant Ca-*
nonistæ communiter, quos sequitur Suarez disp.
18. sect. 5. num. 14. Aduertunt tertio si Iudeus, vel
Saracenus, non ad proprium vsu sed mercatu-
ræ causa, emerit seruus, qui postea ad fidem con-
uertitur, debere intra tres menses eum venalem
exponere, aliquin liber fit, vt colligitur ex dicto
cap. *nulli Iudeo, de Iudeis, & Saracenis, & notat*
Coninch, vbi supra num. 162.

Secundò statutum est, ne eiusmodi infideles
subiecti Principibus Christianis eligi possint in
officia, & munera publica; ita habetur in cap. *ne quis*
Cum sit nimis, de Iudeis; vbi & Principes pro-
hibentur eiusmodi officia illis committere, & fi-
deles prohibentur cum illis infidelibus commu-
nicare, donec officium dimiserint, & acquisita pec-
unia tale officium in pauperes Christianos erogave-
runt. Quod etiam habetur in Concilio Toletano
3. cap. 14. relato in cap. nulla distinct. 54. & in
Concil. Toletan. 4. cap. 64. relato in cap. consti-
tuit.

17. quæst. 4. & in Concil. Matifconensi 1. cap. 13. Et in leg. hac valitura. Cod. de Iudæis & Galicis; per quas leges derogatur legi, generaliter, §. & is qui ff. de Decurionibus, ubi ex concessione Imperatorum Gentilium Lucij Verris, & Antonini permittitur Iudæis honores in Republica adipisci. Imò in cap. penultimo de Iudæis additur, & imponitur Regi Lusitanæ; ne tributa sua, vel Regalia Iudæis vendat per ipsos exigenda, nisi adiuncto aliquo fidei, qui curet, ne fidelibus iniuria fiat.

156 Potuit autem merito tota hæc prohibitio fieri, quia hoc non est cogere directè infideles ad fidem amplectendam, sed Princeps Christianus vitur iure suo excludendo à dignitatibus, & officiis publicis aliquos subditos, quos prudenter iudicat minù idoneos, quales sunt infideles, ut potestatis in Christianos exerceant, qui ratione fidei in sublimiori dignitatis gradu positi sunt. Quod est iuxta sensum, & mentem Pauli, primæ ad Cor. 6. consulentis fidelibus, ne causas suas agerent apud Magistratus infideles, etiam quando infideles nulli Principi Christiano suberant. Quantò magis inter Christianos non decet infideles fidelibus præfici: hoc enim esset tacitè eos declarare apiores, & digniores ad ea munera publica, quàm sint ipsi fideles, quod in dedecus cederet nostræ religionis.

157 Circa hoc dubitari potest, primò an hæc prohibitio intelligatur solum in ordine ad nouam electionem, aut collationem talis officij, vel potestatis, & iurisdictionis, an verò etiam in ordine ad continuationem potestatis habitæ, antequam essent subditi Principibus Christianis, v.g. si nunc Rex Paganus, & cum eo maior pars subditorum conuertatur ad fidem, & in eo regno sint aliqui Principes non supremi, sed subditi eius Regis, & habentes vassallos, quorum Principum aliqui non conuertantur, an ij debeant priuari à Rege potestate, quam antea habebant in subditos, & dominio iurisdictionis, ne habeant Pagani iurisdictionem in subditos fideles. Supponimus autem, eos Principes non vexare vassallos fideles, sed tranquillè eos permittere religionem christianam obferuare. Aliqui ergo videntur vniuersaliter explicare hoc præceptum, ita ut vtrumque casum videatur comprehendere. Sic loquitur Suarez, dicta sect. 5. num. 13. dicens prohibitum esse, ne Iudæi officia publica gererent respectu fidelium. & rursus loquens de Innocentio III. panam, inquit, imponit Iudæis acceptantibus, vel gerentibus talia munera, & sit extenso ad Paganos, idest Saracenos. Eodem modo loquitur Castro Palao dicto tract. 4. disp. 2. punct. 8. num. 2. dicens: certum est, infideles in Christiano Regno, seu Principi Christiano subiectos non posse iurisdictionem in Christianos habere, & inferius addit, quod Romanus Pontifex, indicauit expediens, ne in Christiano regno infidelis iurisdictionem habeat in Christianos fideles, & sic præcepit.

158 Alij tamen non ita generaliter loquuntur, sed dicunt, prohibitum esse, ne in Prouinciis Christiano Principi subiectis infideles præficiantur, vel eligantur ad ea munera publica. Sic loqui videtur Coninch dicta disp. 18. num. 158. dicens: infideles ob Ecclesiæ prohibitionem non possunt inter Christianos publicis officiis præfici, nec Principes Christiani possunt ipsos conferre iurisdictionem in Christianos sibi subditos. Et paulò post subdit: Innocentius III. præcipit eos per Con-

cilium Prouinciale grauius argui, qui Iudæos, aut Paganos publicis officiis præfecerint. Et postea rationem subdit, quia cum hoc casu ihi Christianorum iudicio, & opera Christianis præficiantur; tacitè indicatur, inter Christianos non reperiri aptos ad illa officia administranda, aut saltem non tam aptos, quàm sunt infideles. ubi indecentiam totam videtur reducere ad hoc, quòd iudicio, & auctoritate Principis Christiani eligantur infideles ad hæc officia; quæ ratio non procedit, quando iam infidelis inuenitur iure suo possidere officium, & solum agitur de auferendo ab eo id, quod iam aliunde, & non ex commissione Principis Christiani legitime habebat. Clariùs loquitur Hurtado disp. 78. §. 17. ubi de infidelibus subditis Principi Christiano, sic ait: Non possunt habere Christiana municipia: vassallos autem non video, cur non possint. Itaque si Regi Hispano subdantur Pagani Principes, permittens predicationem fidei, tametsi plurimi in eorum terris conuertantur ad fidem, non possunt ipsi Principatu priuari, quod infideles persistant: licet non possint habere Christiana municipia. In quibus verbis displicet illa vniuersalitas circa vassallos habendos, oportebat enim dicere, posse ab illis retineri potestatem antiquam circa vassallos, licet non possint denuò potestatem nouam circa novos vassallos à Principe Christiano accipere: hoc enim iam esset præfici à Principe Christiano, & eligi ad officium, & iurisdictionem supra subditos fideles.

159 Ceterum loquendo de retentione iurisdictionis, & potestatis legitimæ antiquæ, non video prohibitionem factam, saltem dum subditos circa negotium religionis non turbant. Nam sanctiones, & leges suprà adductæ videntur solum loqui de electione denuò faciendâ, quâ à Principe Christiano eligantur ad ea munera, & præficiantur infidelibus, ita loquitur Innocentius III. in dictæ cap. cum sit nimis de Iudæis: Prohibentes, inquit, ne Iudæi publicis officiis præferantur, & intra: si quis autem eis officium tale commiserit, per Prouinciale Concilium compescatur. Officialis verò huiusmodi: nempe sic electo; tandiu Christianorum communitio in commerciis, & aliis denegetur, donec in usus pauperum, &c. & officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad Paganos. Eodem modo loquitur Concilium Toletanum tertio relatum in dicto cap. nulla distinct. 54. nulla inquit, officia publica Iudæis iniungantur, per quæ eis occasio tribuatur Christianis panam inferre. Et Concilium Toletanum 4. relatum in dicto cap. Constituit 17. quæst. 4. constituit, inquit, sanctum Concilium, ut Iudæi, aut hi, qui ex Iudæis sunt, officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt. Denique eodem modo loquitur Concilium Matifconense primum dicto cap. 13. his verbis. Nec Iudæi Christianis populis indices deputentur, aut telonearij esse permittantur per quod illis (quod Deus auertat) Christiani videantur esse subiecti: Ex quibus omnibus constat, curam potissimum Ecclesiæ fuisse, ne officia hæc Iudæis vel Paganis committerentur. Quamuis enim potestas sit in Ecclesiâ priuandi etiam eos muneribus, & potestate antiqua aliunde quàm à Principibus Christianis habita, quando iam sunt subditi Principi Christiano; potuit tamen hoc prudentiæ Principum relinqui, qui iuxta circumstantias præsen-

præfentes iudicabunt, an id necesse sit, vel expedit: scilicet namque continget, ut non expedit, ne reductio Prouinciæ ad fidem impediatur, si Princeps Paganus timeat se loco, & Principatu amouendum, si ipse in infidelitate maneat. Fa-teor, in Iudeis maiorem quandam turpitudinem inueniri, si infideles ad fidem conuersi manerent adhuc sub potestate Principis Iudæi, sub quo antea essent. Sed hic casus rarissimus esset, nec vnam contigit scire, nec oportuit pro eo legem positivam fieri: quia si locus ille sub potestatem Principis Christiani vnquam veniret, non posset moraliter fieri, ut sine religionis iniuria potestas illa Iudæi supra Christum permanere posset: quare ipsa naturalis legis, seu religionis obligatio sufficeret, ut Princeps Christianus fidelibus subditis provideat, meliori quo possit modo, eos à potestate Principis Iudæi eximendo.

160

Quid dicendum sit, si mortuo Principe fidei cui subditi fideles suberant, succedat iure eos sanguineus infidelis.

Hinc tamen dubitari potest secundò quid dicendum sit, si mortuo Principe fidei, cui subditi fideles suberant, succedat iure suo, & legitima successione consanguineus infidelis: an hæc etiam noua Principatus, & potestatis occupatio prohibita sit prædictis sanctionibus Ecclesiasticis P. Suarez in defensione fidei lib. 3. cap. 4. n. 6. & 7. dicit: si contingeret, plebem fidelem inuoluntariè subiecti denno Principi infideli in isto titulo, ut v. gratia, si Rex Gentilis iusto bello ciuitatem Christianam occuparet, tunc eorum dominium acquireret: nam hoc etiam est, de iure gentium à naturali deriuatum, quod fides non tollit, nec Ecclesia, per se loquendo, impedit, quando Princeps infidelis Ethnicus est, & ipsi Ecclesia non subditi. Idemque esset, si contingeret, Regem infidelem legitimo iure successionis Christianum populum Christianum Principi antea subiectum obtinere; quia tunc etiam fides subditorum non impedit acquisitionem domini: nec pendet ex illius populi voluntate, sed necessario venit ex aliqua priori, & iusta institutione. Hæc autem intelligenda per se sunt, id est, præcauendo scandala, & pericula fidelium, quæ sequi etiam possunt ex subiectione fidelium ad antiquos Principes infideles: ideoque in utroque casu, si talia incommoda probabiliter timeantur, & vitari non possent, nisi vel non ferendo, vel non acceptando talem Principem, fieri posset, & deberet, quia ius, & potestas ad id faciendum Ecclesia non deest. Hæc Suarez, cui subscribit Hurtado dicta disp. 77. §. 18. vbi sic ait. Censeo non posse Ethnicum Principem, eo Principatu priuari, si iusto titulo antiquo aut nouo in illum intrat, v. g. iure hereditario, aut iusto bello, est enim eadem ratio de hoc iure, ac de iure possessionis: quia sine iusta causa nullus potest spoliari iure suo: at non est illa iusta causa comparatione hominum, qui non sunt subditi temporales supremi Principis, nec infidelitas illis permessa est ad punitionem, nec Ecclesia habet iurisdictionem spirituales, nisi in baptizatos: si verò sit probabile periculum despicienda fidei, tunc poterit Princeps contumax priuari regno: at electione non licet dare Principatum infideli, quod rectè probat ratio S. Thome.

161

Quid dicendum de eo infideli, qui succedit iure suo in Principatu subdito Principi supremo Christiano.

Hi duo auctores solim videntur loquuti de Principe infideli, non subdito Principi Christiano, nempe de illo, qui non subditur mediata, vel immediata potestate Ecclesiæ: quare difficultas esse potest de eo infideli, qui succedit iure suo in Principatu subdito Principi supremo Christiano. De quo videtur sanè mihi eadem esse ra-

tio, nec hunc comprehendere sub præfata prohibitione. Nec enim eligitur, vel assumitur à Christianis, sed succedit iure, quod iam aliunde habebat datum sibi lege, vel institutione antiqua. Pater tamen, & deberet priuari iure successionis si eo admissio timeretur præiudicium fidei, vel subditorum fidelium. Aliud verò esset, si non iure anteriori succederet, sed ex institutione moderna Principis antecessoris, qui cum heredem suum nominaret in hoc Principatu: tunc enim locum haberet prædicta Ecclesiæ prohibitio, nec admitti deberet ad hereditariam successionem; nam sicut in Prouincia illa, nec ipse supremus Princeps, nec alij inferiores, & subditi, possunt eligere infidelem, cui potestatem, & iurisdictionem conferant, ita nec vllus potest, testamento etiam, vel per vltimam voluntatem eiusmodi potestatem, aut iurisdictionem infideli conferre: quare defunctus non potuit intra illam Prouinciā heredem in tali munere nominare infidelem, aut ius successionis hereditariæ ei tribuere.

Tertiò circa hanc ipsam prohibitionem dubitari potest, an ita sit vniuersalis, ut in nullo casu liceat Pagano potestatem, & iurisdictionem in Prouincia Christiana conferre. Respondet, loquendo de prohibitione prædicta iuris positui, de qua nunc est sermo, idem dicendum esse de illa, ac de legibus alijs positui, quæ per se loquendo vniuersaliter obligant, sed semper intelligitur exceptus casus necessitatis proportionatæ, iuxta maiorem, vel minorem rei positui dignitatem. Quare in hac materia Hurtado vbi sup. §. 18. duos casus excipit, in quibus necessitas excusaret ab hac lege. Primus est, si communis aliqua fidelium libera impeteretur à Principe infideli, à quo cogendi essent ad fidem relinquendam: tunc enim ob vitandum hoc periculum, si remedium aliud non esset, possent se dedere Principi alteri infideli, penes quem sperarent non esse se religionis causa turbandos. In quo non videtur esse difficultas, quia cum eo casu vitari non posset potestas, & iurdictio alicuius infidelis supra fideles, præferendus esset ille, cui cum minori fidei detrimento subderetur: nec tunc ipsi infidelem assumerent ad Principatum, sed ex duobus, quorum alteri necessario subdi debent, eligunt minus malum, cui subdantur.

Secundus casus est, si tyrannus fidelis vellet eos opprimere, essetque periculum imminutis in illos exercenda, quo casu dicit, posse se licite dedere Principi Pagano eis securitatem præstanti de conseruanda in eis fide Christiana, si non esset periculum ab ea deficiendi. Addit tamen, si tyrannus fidelis non sit eis graue illaturus damnum, non posse eligere infidelem, quia minus malum est per vim subiaci alicui Principi Catholico, quam sponte subdi Pagano, apud quem minus tutam habebunt suam fidem. Ego puto, hunc casum esse Metaphysicum, & non moralem: vix enim, aut ne vix quidem fieri potest, quod non sint grauiora, & diuturniora mala, quæ ex imperio Principis infidelis timere prudenter subditi possunt sibi, & suis posteris, quam quæ ex toleratione Principis fidelis, cuius saltem filij mitiores ingenij erunt, & ad minus religio in ditione illa salua permanebit, cuius iactura reliqua omnia fortunarum, & tranquillitatis damna proponenda sunt.

Huc vsque dictum est de potestate dominorum in seruos, & Principum, seu superiorum in subditos.

Ecclesia prohibet ne Christiani sint famuli Iudeorum. Ne femina Christiana sint nutrices filiorum Iudeorum. An ea prohibito extendatur ad omnes infideles.

165

Subditos. Restat alia duplex potestas, nempe domini, seu heri in famulos, & parentum in filios, de quibus nunc breuiter dicendum est. Et quod attinet ad famulos, Ecclesia prohibuit, ne Christiani sint famuli Iudeorum, vt habetur in cap. *Ad hac*, de Iudeis, vbi etiam additur, ne femina Christiana sint nutrices filiorum Iudeorum, quod videtur esse quoddam genus obsequij, & famularus. Circa quam prohibitionem plura dubitari possunt. Primum an ea prohibitio extendatur ad omnes infideles, an solum ad Iudeos, de quibus solis ibi sermo est.

Negat P. Thomas Sanchez lib. 2. in *decal. cap. 31. num. 25.* & Hurtado *disput. 76. §. 40.* quia de solis Iudeis ibi fit mentio, & odia restringenda sunt, & in Iudeis est ratio specialis propter subiectionem, quam debent potius sustinere erga Christianos, quam dominatum exercere, & hoc in penam Deicidij patriti, & quia maior est eorum obstinatio, difficilius conuertuntur, & ingeniosius subuertunt fideles sibi familiares. Ceterum P. Suarez in *presenti dicta disput. 18. sect. 6. num. 10.* putat, extendi ad Mahometanos, seu Saracenos, non tamen ad Gentiles, quia nimirum plures alia prohibitiones circa Iudeos factae extendi solent in iure ad Saracenos, vt constat ex cap. *Ad hac cap. cum sit nim. cap. in nonnullis*, & cap. ultimo de Iudeis, & ex lege vltima, §. vlt. Cod. de Episc. & Cleric. Verum P. Sanchez reorquet hoc argumentum, quia quoties iura voluerunt, legem extendi etiam ad Saracenos, id explicuerunt, vt constat ex dictis iuribus; ergo vbi id non explicuerunt, non est praesumenda extensio. Addere possumus, quod in dicta lege vltima §. vltimo adducta a Suario extensio non solum fit ad Saracenos, sed etiam ad omnes Paganos; licet etiam in dicto cap. *cum sit nimis*: si ergo ex istis iuribus desumitur argumentum, non deberet extensio in casu nostro heri ad solos Mahometanos, sed etiam ad omnes Paganos. Aliunde tamen sententia Suarii mihi probatur, nempe ex cap. *Iudei 5. de Iudeis*, vbi de Iudeis, & Saracenis sermo est, & de vtriusque subditur: *excommunicentur autem, qui cum eis praesumpserint habitare.* Vnde colligitur prohibitum esse ad minus famularum, qui cohabitationem secum afficit: de famulatu autem extra domum, statim dicemus.

166

Secundò ergo circa hoc ipsum dubitatur, an prohibeatur famularus solum intra domum, an etiam extra domum infidelis. Aliqui, quos refert Sanchez, *vbi supra num. 20.* de famulatu solum intra domum id intelligunt, quibus videtur fauere Coninch *vbi supra num. 171.* & clarus Castro Palao *dicta disput. 2. punct. 9. num. 15.* Alij tamen melius omnem proprium famularum interdici dicunt, quia etiam famulus extra domum domini habet, adhuc proprie famulus illius est. Ita alijs relatis Sanchez loco citato Hurtado *disputat. 76. sect. 2. §. 43. in fine.* Falso enim supponit Castro Palao, non esse proprie famulum, qui non est in eadem domo, cum passim reperiantur multi, qui vel ob angustias proprii palatii, vel alias ob causas extra domum habentur, & non minus famulantur, & assistunt, quam si domi degerent. Dixi tamen, omnem proprium famularum interdici: quia non ita dicendum de colonis, & operariis, qui non sunt proprii famuli, & quos communiter Doctores colligunt non comprehendi in hac prohibitionem, ex cap. *multorum.* de Iudeis. Videatur Coninch Card. de *Lingo de Virtute Fidei diuina.*

num. 171. Castro Palao *dicto num. 15.* Hurtado *vbi supra §. 38.* alij, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi supra num. 21.* qui tamen magnam vim facit in eo, quod Iudeus non sit praefens: scilicet si esset praefens, hoc est si ferè semper operi assisteret, non verò si aliquando ad perspicuenda aedificia, vel agriculturam, pro quibus Christiani locant operas suas, illuc adeat. Ego magis confiderandum puto in ordine ad hanc prohibitionem, an sit vere famulus, an solum operarius. Nam faber, fissor, & alij opifices qui suas locant operas, non sunt proprie famuli conductoris, cui laborant, etiam si in eius praedio, vel domo laborant, nec pendunt ab eius voluntate, sicut famuli à voluntate domini, sed remanent sui iuris, sicut & medicus, qui operam suam locat infirmo: quare non inuenitur ibi subiectio, quam leges, & canones nolunt habere Christianos versus Iudeos: semper tamen familiaritas vitanda est.

De feminis Christianis nutriendis filios Iudeorum est peculiaris difficultas, eo quod in dicto cap. *Ad hac*, de Iudeis, vbi id prohibetur, additum sit, *in eorum domibus.* Vnde multi colligunt, non prohiberi, quod extra domum parentum feminae Christianae in propriis domibus eorum filios nutrant. Sed tamen alij non pauci, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi supra num. 19.* hoc etiam prohiberi dicunt, propter vitandam familiaritatem nimiam, quae ea occasione contrahitur. Si tamen extra domum ita id munus obiri posset, vt vitaretur omnino familiaritas cum Iudeo, dicunt non prohiberi. Ego iuxta supradicta puto, tunc id prohiberi, quando nutrix videbitur famulari Iudeo: quod quidem proprie contingit, quando est in domo ipsius, tunc enim censetur esse in numero famularum. Quando verò est extra domum parentum, magis censetur locare suas operas, quoad illum actum, cum adhuc remaneat in propria domo, & sui iuris, & ideo fortasse addita fuerunt verba illa, *in eorum domibus.* Si autem aliquando etiam extra domum manens censetur assumpta in famulam, & solum propter angustiam loci, vel aliam ob causam haberetur in domo separata, tunc iam prohiberetur ex vi prohibitionis generalis famulandi Iudeis, qui tamen casus rarus erit.

167

De nutriendis Christianis, peculiaris difficultas.

De potestate Patris infidelis in filios fideles, doctores dicunt perdi eo ipso, quod filius baptizetur. Quod Suarez *dicta sect. 5. num. 15.* & Castro Palao *dicto puncto 8. num. 5.* dicunt haberi in c. *Maiores* de baptismo, in quo tamen capite, nec verbum est directè, vel indirectè ad hoc spectans. Addit Suarez, idem haberi in Concilio Toletanis à se supra adductis: attulerat autem *num. 13.* Concilium Toletanum 3. & 4. sed in 3. Concilio nihil de hoc dictum fuit, sed solum in 4. c. 59. relato in c. *Iudeorum filios*. 28. q. 1. his verbis: *Iudeorum filios, vel filias, ne parentum ultra inuoluantur erroribus, ad eorum consortio separari decernimus.* quae verba intelliguntur de filiis baptizatis, non de non baptizatis, vt notauit glossa ibi verb. *Iudeorum*, & verb. *proficiant*: inde inferens, per baptismum solui ius patriae potestatis, & notans non tolli per hoc ius successionis in hereditate paterna, vt colligitur ex cap. *Iudei 5. de Iudeis*, & Saracenis. An verò parum possint inuitis parentibus baptizari, saltem quando parentes infideles subduntur Principi,

168

Quid dicendum de potestate Patris infidelis in filios fideles.

Y y vel

vel domino Christiano; cuius subditi, vel serui sunt, est questio pertinet ad materiam de baptismo, de qua ultra alios videri possunt Suarez tom. 3. in 3. partem disput. 25. sect. 4. 5. & 6. Lorca presentis disp. 37. & alij multi, quos congerit Diana tom. 1. part. 2. tract. 1. miscell. resolut. 45. & 5. parte tractat. 3. de casibus occurrentibus tempore mortis resolut. 10. Et hæc dicta sint de infidelibus non baptizatis: nunc dicamus de hæresi in particulari. Postea verò agemus de communicatione licita, vel illicita cum omnibus infidelibus, ubi videri poterunt, quæ hic desiderari possent de communicatione cum infidelibus non baptizatis.



DISPUTATIO XX.

De Hæresi, & Hæreticis.

SECTIO I. Quid sit hæresis formalis, & quid sit hæresis obiectiua.

- II. Quæ requirantur ex parte obiecti ad hæresim, & hæreticum constituendum.
- III. De alijs propositionibus infra hæresim, & de varijs singularum censuris.
- IV. De iis quæ requiruntur ex parte subiecti ad hæresim contrahendam.
- V. De pertinacia, an, & qualis in hæretico requiratur.
- VI. De ignorantia, quomodo excuset, vel non excuset ab hæresi.



ostquam diximus de simplici infidelitate, sub qua Iudæi, & Pagani comprehenduntur, sequitur ut dicamus de hæreticis, de quibus dicendum erit primò quid sit propriè hæresis formalis, & obiectiua. Deinde quid requiratur ex parte obiecti, ut sit obiectum hæresis. Vnde postea explicandi erunt diuersi gradus censurarum, quibus Theologi notate solent propositiones alias infra hæresim. Deinde quæ conditiones requirantur ex parte subiecti, ut aliquis dicatur hæreticus. Denique de pertinacia requisita ex parte voluntatis ad incurrendam hæresim.

SECTIO I.

Quid sit hæresis formalis, & quid sit hæresis obiectiua.

Iudicatur communiter hæresis, in hæresim formalem, & obiectiuam. Formalis est peccatum illud actuale, à quo aliquis formaliter denominatur hæreticus. Obiectiua verò est obiectum illud, quod falsò creditur vel asseritur ab hæretico v. g. in eo, qui docet in Deo esse quatuor personas, datur hæresis formalis, nempe actus quo illud affirmat: hæresis autem obiectiua est obiectum illud falsum, quod affirmat: ipsa verò assertio externa, seu loquutio externa, qua id profertur, licet sit obiectum voluntatis internæ hæreticæ, non tamen dicitur hæresis obiectiua, sed hæresis formalis externa, quæ denomi-

natur hæresis, & peccaminosa ab ipsa voluntate interna hæretica, & mala: quare si voluntas inuertentiam, voces externæ non essent hæresis formalis externa, sed solum materialis. Obiectum tamen ipsum semper est hæresis obiectiua, nec hoc pendet à culpa affirmantis, propterea semper opponitur veritati reuelatæ, quod sufficit ad hæresim obiectiuam. Sicut enim obiectum fidei dicitur simpliciter fides, propterea de mythis, & articulis contentis in symbolo Athanasij subditur: hæc est fides Catholica &c. ita de obiectis contrariis dici potest simpliciter, & absolute, hæc est hæresis. Fateor, hanc denominationem semper inuoluere ordinem ad hæresim formalem pectus: nam dicere de obiecto illo, quod sit hæresis, est dicere, quod sit obiectum contradicens obiecto à Deo reuelato, & sufficienter ab Ecclesia proposito, atque adeo aptum, ut terminet hæresim formalem in illud affirmante, nisi ignorantia, vel aliquid aliud per accidens excuset. Non tamen requiritur, quod actu supponat hæresim formalem actualem, ut dicatur hæresis obiectiua actualis, sed sufficit quod sit obiectum tale, & taliter reuelatum, atque ab Ecclesia propositum, ut ex se sit aptum ad terminandam hæresim formalem. In quo non potest esse questio nisi de nomine, de qua videri potest Suarez disp. 19. sect. 2. num. 2. & sequentibus; qui tamen distinguere videtur inter hæresim, & propositionem hæreticam, & facilius admittit secundam appellationem in casu posito, quam primam, licet hæc etiam admittat, præsertim si dicatur hæresis materialis. Sed hoc etiam pertinet ad modum loquendi, & negari non potest, quod Censores, quibus ab inquisitoribus fidei dantur propositiones censurandæ, absque vlla distinctione, vel addito dicunt, talem propositionem esse, vel non esse hæresim, sicut de eius contradictoria dicunt esse fidem Catholicam, præscindendo ab animo, vel dispositione eius, qui eam protulit: hoc enim iudicium reueratur ipsis inquisitoribus, ad decernendum de hæresi formali, & an eius sit iudicandus hæreticus. In hoc tamen, ut dixi, non potest esse dissensio de re.

Circa nomen ipsum hæresis, & hæretici, obseruant communiter Doctores, nomen hæresis ex prima sua etymologia, & usurpatione indifferens fuisse ad bonum, & malum; oritur enim à verbo Græco *aijtiav*, id est, *eligo*, atque adeo significat opinionem, quam sibi aliquis voluntariè eligit, siue bona, siue mala sit. Vnde & secta dicitur, quia eam sequimur, & in eo sensu dicebantur variæ Philosophorum sectæ, & in eo sensu Cicero in Paradoxis dixit: *Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus, & ea sentit, quæ non sanè probantur in vulgus, & in ea ipse hæretus, quæ nullum sequitur florem rationis, neque dilatat argumentum.* Et de secta idem Cicero in Verrem. *Horum, inquit, nos hominum sectam, atque institutionem prosequimur.* Imò & Paulus Apost. Act. 26. in bonam partem, scilicet, nomen accepit, dicens, *quoniam secundum te iustissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Et cap. 24. dixerat: *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, scilicet, de seruitio Patri, & Deo meo, credens omnibus quæ in lege, & Prophetis scripta sunt: spem habens in Deum.*

Postea verò Patres, & Ecclesia, nomina hæ-